



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XI. De paucitate amatorum Crucis Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

videbitur. Non enim parvum est,  
quod a summo Deo donatur.

Etiam si pœnas, & verbera de-  
derit, gratum esse debet; quia sem-  
per pro salute nostra facit, quidquid  
nobis advenire permittit.

Qui gratiam Dei retinere deside-  
rat, sit gratus pro gratia data, pa-  
tiens pro ablata. Oret, ut redeat:  
cautus sit, & humilis, ne amittat.

C A P U T X I.

*De paucitate amatorum crucis Jesu.*

**I.** Habet Jesus nunc multos amato-  
res regni cœlestis, sed pau-  
cos bajulatores suæ Crucis.

Multos habet desideratores con-  
solationis, sed paucos tribulationis.

Plures invenit socios mensæ, sed  
paucos abstinentiæ.

Omnes cupiunt cum eo gaudere,  
sed pauci volunt pro eo aliquid su-  
stinere.

Multi Jesum sequuntur usque ad



fractionem panis, sed pauci usque ad bibendum Calicem Passionis.

Multi miracula ejus venerantur, pauci ignominiam Crucis sequuntur.

Multi Jesum diligunt, quamdiu adversa non contingunt.

Multi illum laudant, & benedicunt, quamdiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt.

Si autem Jesus se absconderit, & modicum eos reliquerit; aut in querimoniam, vel in dejectionem nimiam cadunt.

2. Qui autem Jesum, propter Jesum, et non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione, & angustia cordis, sicut in summa consolatione, benedicunt.

Et si nunquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen semper laudarent, & semper gratias agere velent.

3. O quantum potest amor Jesu  
pu



purus nullo proprio commodo, vel amore permixtus!

Nonne omnes mercenarii sunt dicendi, qui consolationem semper quærunt?

Nonne amatores sui magis, quam Christi probantur, qui sua commoda, & lucra semper meditantur?

Ubi invenitur talis, qui velit Deo servire gratis?

4. Raro invenitur tam spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus.

Nam verum pauperem spiritu, & ab omni creatura nudum quis inveniet? Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.

Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est.

Et si fecerit poenitentiam magnam, adhuc exiguum est.

Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longe est.

Et si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, ad-



hac multum sibi deest: scilicet unum, quod summe sibi necessarium est.

Quid illud? *Ut omnibus relictis se relinquat, & a se totaliter exeat, nihilque de proprio amore retineat.*

Cumque omnia fecerit, quæ faciendæ noverit, nihil se fecisse sentiat.

5. Non grande ponderet, quod grande æstimari possit: sed in veritate servum inutilem se pronuntiet, sicut Veritas ait: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.*

Tunc vere pauper & nudus spiritu esse poterit, & cum Propheta dicere: *Quia unicus, & pauper sum ego.*

Nemo tamen isto ditior, nemo liberior: qui se, & omnia relinquere scit, & ad intimum se ponere.